

Werk

Titel: Herbarium Amboinense, plurimas complectens arbores, frutices, herbas, plantas ter

Jahr: 1750

Kollektion: Zoologica

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN369547365

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN369547365>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=369547365>

LOG Id: LOG_0004

LOG Titel: Anmerkungen

LOG Typ: section

Übergeordnetes Werk

Werk Id: PPN369544501

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN369544501>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=369544501>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

GEORGII EVERHARDI RUMPHII

PEREGRINATIO,

S I V E

ITER IN BRASILIAM.

Errores, variasque vias, multosque labores,
Lufiacasque urbes fuggere, Musa, mihi.
Nam tu fida viae semper comes usque fuisti,
Et memori servas pectore quaeque loca.
Et quamvis patria cunctisque caremus amicis,
Nec duros casus, qui levet, ullus adest:
Tu tamen ausa sequi procul es terraque marique,
Nec subtracta mihi Pegasis unda fuit:
Tu partim pelago, partim vestigia terra,
Vel rate dignata es, vel pede nostra sequi.
O peregrinantes felices, queis comes ista
Contigit, haec curas, haec mala cuncta levat:
Rebus in adversis haec grata levamina praestat,
Praesentis casus inmemoresque facit.
Me quoque Musa levat, peregrinas inter agentem
Gentes, occiduus quas obit oceanus.
Ne tamen ignores, cur his in partibus errem,
Delerui patrios artis amore Lares.
Nam postquam teneros annos & sterile pectus
Excolui claris artibus Aënidum.
Inde Mathematicas genitor mihi tradidit artes,
Ad quas ingenium non mihi segne fuit.
Et jam de puero NATURAE arcana placebant,
Curaque discendi sedula mentis erat.
Claro Gymnasio fluvialis Hanovia nota est,
Hic colui Musas Palladiumque chorum.
Addideramque puer denis bis quatuor annis,
Constitui partes orbis adire novas.
Italiae splendor me, & fama gravissima dudum
Traxit, & illius spes mihi magna fuit.
Cum de Solmenfi generoso stemmate natus,
Deque tribus minimus fratribus ille, Comes
Germanum repetit Batavis natale solumque,
Fratre Gryphensteniae sceptrum tenente domus.
Agmine sub Veneto Chiliarchi munere fungi,
Et se pro Venetis bella parare refert.
Talibus instinctus mox illi jungere me sum
Ausus: pulcra patri fictaque verba dedit.
Firmam spondet opem, verique parentis amorem:
Sic patri natum perfidus ille rapit.
Et vidi lacrimas oculos profundere falsas,
O crocodilino sanguine nate Comes.
Collectis igitur populis hac fraude solerti,
(Indigenae plebis maxima turba fuit.)
Nobiscum repetit Belgas, nam dixerat illinc
Nos fore transvectos aequor in Adriacum.
Spem capimus: sequimur, quorum ductamur ab illo,
Nec nobis structos sensimus arte dolos.
Ventum erat ad ripas Rheni, Wesela videtur,
Miscetur Rheno Lippius amnis ibi.

*

Cogi-

Cogimur ad ripam, fex naveis scandimus omnes,
 Gens Alemanna fagax, quam male credis aquae!
 Ulvofum Rhenum delabimur amne secundo,
 Ventos vidiffes in mala nostra citos.
 Tranfimus BelgI celeri clara oppida grefsu,
 Quaque duo feftus cornua Rhenus abit.
 Intramus Vahalim (fic laevus dicitur amnis:)
 Linquttur a dextia nobile Schenkii opus.
 Adfequimur noftro curfu fic Rotterdamum,
 Grandes nos capiunt fex aliaeque rates.
 Hic vero incipimus multo cum murmure, quando
 Illa dies veniat, fint & ubi illa loca;
 Nos ut luftremur, promiffaque menftrua dentur,
 Nolumus aut noftros inde movere pedes.
 Nauta age, fi nolunt, in littus ponito cunctos,
 Non fallace fide miles, at aere meret.
 Illi blanditiis ortos fedare tumultus,
 Sufpenfos vana fpeque tenere viros
 Usque parant: tandem nautarum vincimur aftu.
 (Sic non perniciem peftora caeca vident.)
 Amftelia, o Socii, quaeramus moenia, jactant,
 Vos ibi lufttabunt, debitaque aera dabunt.
 Credimus: interea fubducunt carbafa lino,
 Urbesque adfpicimus praetereunte rate.
 Vah! quae deliciae! quae gens in pace locata!
 Perpetua hic requies, & bona vita viger.
 Has nitidas urbes fuerat mea fumma voluptas
 Vifendi: pedibus fed mora navis erat.
 Perfidus ille mihi quamvis promiferat ante,
 Ut via, quam vellem, femper aperta foret.
 Neglexi fed & hoc, quia me fpes vana trahebat,
 Itala poft paucos adfpicere arva dies.
 Fortiter adfuevi potuque ciboque marino,
 Et falfamentis usque refertus eram.
 Sic male contenti Belgarum linquimus urbes,
 Irriguum pratis Torcariamque locum.
 Harlemicoque finu fuperato, nobile portu
 Spardamum recipit; nec mora, vela damus:
 Intramusque finum pelagi, vernacula gentis
 Suyrum, Suydericum vel mare lingua vocat.
 Amfteliae tandem proris adlabimur Urbi,
 Hic nos deceptos fenfimus effe viros.
 Nam neque luftramur, promiffa diuque negantur,
 Praetereunt puppes, urbs quali nulla foret.
 Quid nunc confilii? patienter cuncta feremus:
 Germani fuimus: perdita turba fumus.
 Cum Titan fubiiffet aquas, Enchufia nobis
 Tangitur, Eois navibus illa patet.
 Nox ubi tranfierat, coelumque rubefcere primo
 Caeperat, ulterius pinea texta meant.
 Occiduas Batavae terrae quod verberat oras,
 Infula prima jacet Texela porta maris.
 Venimus huc poftquam, plures offendimus illic
 Navibus inpoftos, pro Venetoque duce:
 Sed non de nofttris oriundi gentibus, illos
 Nutrierat pulchra Gallia gente ferax.
 Jungimur his, omnesque fimul custodia fervat
 Texelicos Batavi militis ante finus.
 Bis decies Phoebus folitos iteraverat orbes,
 Linqguendi portus aura fecunda venit.
 Tres veniunt valido praefiantes robore puppes,
 Quae capiunt omnes in fua texta viros.

Ostentat Classis Praefectum prima carina,
Auriacus Princeps dicta secunda fuit.
 Tertia jam longe tumidis adsueta procellis,
 Dicta *niger corvus*, quod volet instar avis.
 Haec decies focios abiegna ventre ducentos
 Clausit in angusto corpora multa loco.
 Cetera gens scandit reliquas, mercesque ferentes
 Se junxere duae per freta longa rates.
 Omne dehinc velum dubiae committitur aurae,
 Inque patens aequor concava puppis abit.
 Mox sua vela *Niger corvus* subducit in altum,
 Avolat: ex oculis cara recedit humus.
 Cara vale tellus; mihi saepe optabere tangi,
 Hac grave erit longo tempore nave vehi.
 Saepe tamen nobis solatia fingimus ipsi,
 Et minus adversum spes mare vana facit.
 Insula in Ionio magno est antiqua Zacynthus,
 Italiae nautis Zantha vocata novis.
 Huc nos venturos Batavus promisit: at ista
 Forte sub austrinis est sita Sancta polis.
 Nam numquam nostrae tetigissent Itala puppes
 Littora; nec Veneti nos petiere Duces.
 Sed longe diversa (velut res ipsa probavit)
 A nostro fuerat terra premenda pede.
 Sub Notiis signis, Aequatorisque calore,
 A supero tellus Orbe remota jacet.
 Brasiliam dixere novi, nuperque resecta
 Ad nos ignotas per mare misit opes.
 Quae tamen imperium teneat, stant bella duabus
 Gentibus, indigenos utraque censet agros.
 Lusiacus partem miles sibi vindicat Austri,
 Imperii sedes arida Paragui est.
 Egelidum boream versus se Belga locavit,
 Pharnamboccaeâ tutus in arce latens.
 Plurima jam periit gens Europaea, per hujus
 Ardentes aestus innumerasque feras.
 Littore, non dubium, nos deposuisset eodem,
 Quo focios reliquae, tertia nostra ratis.
 Denique firmatis animis nos credimus alto:
 Poscentes ad opem supplice voce Deum.
 Sed primo vultu mihi erat Neptunus iniquus,
 Nam nocet hospitibus Tethyos aura novis.
 Sic & inadsueta vitiatum corpus ab aura est,
 Nec patitur vires languor habere suas.
 Os hebes est, positaeque movent fastidia mensae,
 Officii & stomachus nescius ipse sui.
 Interea Navis strepitantes excitat alas,
 Et repetit solitas flamine pulsa vias.
 Jam multos annos per aquas fuit illa vagata,
 Notus Neptuno jam bene *corvus* erat.
 Sive opus est velis, minimam bene currit ad auram:
 Sive opus est armis, fulmina larga jacit.
 Et comites volucris poterat quia vincere cursu;
 Est facere invitas saepe coacta moras.
 Nam simul inplerant Aquilones vela secundi,
 Haud mora de Batavis classis abivit aquis.
 Respicit a laeva Flandros, junctosque Brabantos:
 Candida sed quaenam littora dextra videt?
 An albas arces, castellave candida cerno?
 An juga brumali quae nive tecta latent?
 Non; sed cretaceas rupes, quibus Anglia cincta
 Cognomen nata est Albion inde suum.

Icciacas cautes transimus in ore Canalis
 Britanno dantes lintea vela mari.
 Liquimus a laeva jam Gallica Littora paene,
 Deque Aquitanniacis vela dabamus aquis.
 Tantos fert victus alimentaue nautica navis,
 Poscere quanta queat, qui modo sanus erat.
 Defuit hic numquam ptisana & biscoctus, asellus,
 Zythus, Butyrum, perna salita, fabae.
 Noxia valde tamen cunctis fuit aura marina;
 Et cunctos artus languor habebat iners.
 Nausea cum crebro vomitu, fluxuque per alvum,
 Fortiter infringit corpora cuncta virum.
 Accedit linguae virus, nec non Scelotyrbe;
 Haec crurum, prior est oris amara lues.
 Hei mihi! qualis erat status hic, miserandaque vita:
 Nulli speratur terra nec ulla salus.
 Hic te quadrupedem facit, alter funibus haeret:
 Hic misere clamat: desuper ille cadit.
 Ille famem queritur, positam tamen abjicit offam:
 Nec satis aegrotis hic cibus aptus erat.
 Si quis adhuc (sed paucus) erat paullisper alacris,
 Fit curans aegros aeger & ipse cito.
 Est dirus morbus, quum lingua incenditur aestu,
 Luridaque adparet, moxque loquela perit.
 Tempore, quo coelum solito versatur in axe,
 Si non curetur, mors properata venit.
 Sed male curato, tacito languore tabentes
 Ad Stygis umbrosam multi abiere domum.
 Mortuus absque mora tumidas jactatur in undas;
 Exequiasque facit machina grande tonans.
 Mille ferae Oceani coeunt, avidoque palato
 Diripiunt mediis putre cadaver aquis.
 Tubere dente minax, & pilis Carcharus asper,
 Et quae sunt vasti grandia monstra maris.
 Agmina post puppem, praedam sperantia, ducunt,
 Gaudentque humanos dilacerare toros.
 O quanto melius, fato ferrove cadentem
 In solita moriens ponere corpus humo!
 Et mandare suis aliqua, & sperare sepulcrum,
 Et non aequoreis piscibus esse cibum.
 At simul Hispanum pervenit classis in aequor,
 Et qua Callaicus Dorida cernit apex.
 Protinus emisit mutatas Aeolus auras,
 Percutitur rapido prora repente noto.

